



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei  
Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]**

XXIV. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](#)

S. Bona V. vix rationis compos inter primas  
curas, quomodo Deo, & ejus Matri placere  
posset, reponeret; adfuit septenni Christus, &  
quomodo se ad somnum componere, quia San-  
ctissimam suam Matrem amare deberet, Ma-  
gister celestis edocuit. Quam capax haec disci-  
pula fuerit, patuit, dum ei oranti Deipara com-  
paruit. Ex vita. Primus discendi ardor nobili-  
tas est Magistri.

O S. Bona risum inter & cantum dulcissime  
mortua, optimam apud Christum pro me Pa-  
tronam age, ut ejus dictamina, & sanctam vo-  
luntatem ita cognoscam, ut ex iis Deiparam  
plus semper & amplius omni possibili omni-  
um creaturarum affectu amare, & ad somni-  
fratrem, mortem, cum animi laetitia ritè me  
componere docilis discipulus maturè discam.  
O Sanctissima &c. f. 2.

Ad quod impetrandum: Non prius hodie ad  
somnum concedam, quam me velut agonizans  
Matri morientium commendem, & Patri:  
Drusbiccki exemplo sensus spirituali extrema  
unctione muniam, dicens: indulgeat mihi Do-  
minus, per Matris suæ intercessionem, quid  
quid oculis hodie deliqui &c.

Idcirco Domine Virginem de presenti secu-  
lo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te  
fiducialiter intercedat. S. Petr. Dam. ser. de Nat. Y.

Quæstio: An pulchritudo Deiparæ potue-  
rit alicui esse illicium ad illicita? v. Raynaud  
Maria l. p. 1. p. n. 2.

XXV. APRILIS.